





*J. J. V. S. 1754, 10.*

1,507. 620  
628  
16

IOANNIS IACOBI SORBERI I. V. D.  
P. P. O. ET FACULT. IVRID. ADSESS.  
IN ACADEMIA MARBURGENSI

---

PROGRAMMA  
DE  
LEGITIMIS SVBSIDIIS AD  
SOLIDAM COGNITIONEM IN  
IVRISPRUDENTIA FEVDALI ADSPIRANDI

QVO  
GENEROSOS, NOBILISSIMOSQUE COMMILITONES  
AD AVDIENDAS PRAELECTIONES AESTIVAS  
TAM PVBLICAS QVAM PRIVATAS  
OMNI, QVA PAR EST, HUMANITATE

INVITAT



MARBVRGI CATTORVM  
TYPIS PHILIPPI CASIMIRI MÜLLERI, ACAD. TYPOGR.

JOANNIS IACOBI SORBERI ET AVI  
LUDVICO ET MAGALI TAVIDI. AD 1728.  
IN ACADEMIA MARIAE ANTONIAE

PROLOGIUM  
DE

LEGITIMIS SUBSIDIIS AD  
SOCIETATIS COGNITIONEM IN  
SARIZBARDINIA HISTORIA DISPARVANDI

640

CELESTINUS, MATHIAS, AAT COMMISSARI  
DE VATICANIS PRAELEGITIONES DESENDA  
TUM THERESIAE ET MAIA TITULATA  
OMNI GAETAST HUMANITATIS



Q. M. LIBRARY OF THE UNIVERSITY  
OF SAXONY-ANHALT, HANOVER, GERMANY



Si ista consulimus tempora, in quibus barbaries  
inuasit ordinem litteratorum, disciplinae  
tantis circumdatae conspiciuntur tenebris, ut  
illas sectantes miserrimi euaserint iurium inter-  
pretes. Perscrutemur modo istas aetates, in quibus A C-  
CURSIVS, BARTOLVS, BALDVVS eorumque adseclae  
numerum mortalium auxerunt, tunc versati in iurispru-  
dentia elegantiori, omnesque, qui iucunda cum vtilibus  
scituque necessariis coniungere didicerunt, uno ore fa-  
tentur, sapientiam ciuilem potius ferream quam auream  
exstitisse. Ast, quum ALCIATVS et praeprimis IACO-  
BVS CVIACIVS (qui non immerito princeps et restaura-  
tor litterarum elegantiorum dicitur, immo praecipua in-  
ter scholas, quarum quinque ab Irnerii temporibus nu-  
meramus, nomen Cuiacianae adepta est,) eorumque stren-  
nui sectatores probe animaduerterent, quanta inde ena-  
scerentur commoda, si plane alia quam hactenus usitata  
indueretur facies iurisprudentiae, eam ob causam omnem  
adhibuerunt operam, elegantiora cum iurium scientia  
adcurate combinandi, et, si veritatem diffiteri nolumus,

A 2 felicissi-



felicissimi inde enati sunt euentus, quibus et hodierno die isti gaudent atque fruuntur, qui eorum vestigia sequi solliciti existunt. Quae hactenus breuissimis delineata me mouent atque impellunt, vt omnibus legum cupidis eamdem studiorum methodum commendem, qua via electa, certo certissime sibi polliceri valent fructus vberrimos. Ne autem a scopo nimis aberrem, ad thema illud speciminis loco exhaustendum me conuertam, quo adiuuante demonstrare admittar, quomodo solida in iuris prudentia feudalii nancisci possit cognitio.

#### §. I.

Quem finem vt obtineamus, me sentiente non solum necesse est, vt in disciplinarum ac materiarum iuris origines, vicissitudines et usum hodiernum exactissime inquiratur, sed etiam in iure feudali praeprimis requiritur, vt legitima subsidia ad masculam notitiam perueniendi haud negligantur, quae sequentem in modum pro instituti ratione indicare aequae ac examinare adlaborabimus.

#### §. II.

Studium antiquitatum germanicarum si adimus, talia nemine forsitan haesitante ibi conspiciuntur, quae iuris prudentiam feudalem optime illustrare valida deprehendimus. Probationis causa inseruire poterit diuisio maiorum nostrorum in quatuor ordines, nobilium, ingenuorum, libertorum et seruorum (a), quam non solum veteres Teutones usu seruarunt, sed etiam nostrates homines in Germania adhuc degentes (per experientiam) huncce in modum a se inuicem secernere studiosi deprehenduntur. Sed mitto posteriora et retentis prioribus insciandum non erit, Germanos antiquos, a quibus promouen-

mouendae militiae gratia feuda sunt introducta (b), nobilibus atque ingenuis qua militiae capacibus beneficia solummodo contulisse (c), ideoque facile est ad intelligendum, quare antiquitus feuda propria vsu obtinuerint (d). Ast, quum militiae status fuerit mutatus (e), penuria numerorum sublata, praetereaque varia ad feuda acceſſerint incrementa, res eo rediit, vt reliqui ordines iuxta rigorem a feodorum adquisitione alias exclusi fuerint admissi (f), quibus est factum, vt succedente aetate enata sint impropria, quamvis haud diffiteor, oblationem allodiorum in feudum diuersis ex cauſis ansam quoque dedisse improprietatibus (g). Quae, si vt decet, pondrantur, nemo, vt mihi persuadeo, inficias ibit, studium antiquitatum germanicarum vberrimos subministrare fructus in addiscenda et enodanda iurisprudentia feudali.

(a) Clare id commonstrauit ADAMVS BREMENSIS *in hist. ecclesiast. lib. I. cap. V.* reliquie a me in diff. inaug. sub praefidio Viri Illustris atque Excellentissimi IO. GEORGII ESTORIS *Pro cancellarii in nostra Academia eximii Promotoris mei pie deueneyandi Ienae MDCCXL. habita de odio in matrimonio inaequalia et restrictio iure nobilitatis germanicae quod ad connubia citati.*

(b) Probarunt dicta SPENERVS *de primis vestigiis feodorum* aliisque plures.

(c) Sufficienter recensita delineauit TACITVS *de morib. Germ.* cap. XIII. STEPHANVS BALVIVS *in capitul. Reg. Francor. Tom. II. pag. 186.* etcet.

(d) Legas modo B. L. exquisitissimas dilucidationes Viri de orbe litterato spectatissimi Procancellarii nostri Illustris IO. GEORGII ESTORIS obſeruat. iur. feud. obſ. XVI.

(e) Vid. B. G. STRVVIUS *in Elem. iur. feud. cap. XI. §. CCCXIX.*

(f) Conf. PETRVS a LVDEWIG *in iur. feudor. cap. VI!*

(g) Quarum perplures fecerunt mentionem v. g. HELMOLDVS *in Chron. Slavor. lib. I. cap. IX.* VEBO EMMIYS *ver. Fris. lib.*



*lib. XI. pag. 443. PETRVS a LVDEWIG in reliquo. MS. & or. Tom. II. pag. 267. HERTIVS de feud. oblat. aliquae.*

### §. III.

Praeter iamiam delineata plurima adhuc addi valuerint argumenta propositionem hanc corroborantia, verum instituti ratio exigit, ut aliorum subsidiorum etiam breuibus faciam mentionem. Huc spectare mihi videatur ius germanicum ipsum, ex quo inter omnes constat, quod Teutonibus summopere displicerint disparagia (*a*), utpote quibus curae cordique fuit, ne inaequalia celebrarentur matrimonia (per principia iuris germanici). Testantur de veritate dictorum leges perantiquae germanicae (*b*), fides scriptorum plane non contempnendorum (*c*), immo praxis ipsa (*d*), et haec in se considerata quemlibet satis superque conuincent, quales poenae iis sunt irrogatae, qui impares nuptias inire haud erubuerunt (*f*). Ad classem harum coercionum non tantum referunt exclusio a ludis equestribus, denegatio honorum ac titulorum patris etcet. sed inaequaliter nati a successione feudalii quoque arcentur (*g*), id quod non leuibus, multo potius fortissimis confirmari potest rationibus atque exemplis, adeoque, si a paroemia iuris patrii: *das kind gehæret zur ærgern hand* (*b*), etiam recedimus, nemo non videt, ius germanicum maximum habere influxum in iurisprudentiam feudalem, praesertim, si apud animum nobis constituiimus, beneficia esse inuenta Teutonum (*i*).

(*a*) Manifesto hoc docuit modo laudatus ADAMVS BREMENSIS in hist. ecclesiast. lib. I. Cap. V. SALVIANVS de gubernat. Dei pag. 104. et PHILIPPVS CLVVERVS in Germ. antiqu. lib. I. cap. XV.

(*b*) v. g. LEX SALICA tit. XIV. LEGES WISIGOTHORVM lib. III.

III. tit. III. EVRGUNDIONVM tit. XXXV. §. II. LANGOBARDORVM lib. II. tit. IX. etcet.

(c) Huc referre licebit PETRVM de ANDLO de imper. rom. lib. I. cap. XII. et XV. GRYPHIANDRVM de Weichbild. Saxon. cap. XXVI. B. G. STRVVIVS in iurisprud. beroic. P. II. cap. II. NICOLAVM BETSIVM de pact. illustr. cap. I. §. XXV. et MEAM supra cit. diff. inaug. de odio in matrimonia inaequalia et restrictio iure nobilitatis germanicae quod ad connubia.

(d) Dilucide dicta delinearunt B. G. STRVVIVS in corp. iur. publ. cap. XXXI. §. XXXIII. sq. et in iurisprud. beroic. a cel. HELLEFELDIO edita P. II. cap. II. §. XLIV. PETRVS a LVDEWIG in Erleuterung der guldinen Bulle P. II. pag. 1359. aliquie.

(e) Legi merentur, quae exhibet IUS FEVDALE SAXONICVM cap. XX. et ADAMVS BREMENSIS loc. cit. expresse dicit, penes maiores celebrationem imparum matrimoniorum vitae damno fuisse compositam.

(f) Quod nos docet IUS FEVDALE SVEVICVM cap. XL. et IUS SAXONICVM PROVINCIALE lib. III. art. LXXII.

(g) Consulatur desuper HERTIVS in paroem. iur. germ. cap. VI. §. II.

(b) Variis argumentis hoc confirmauit B. G. STRVVIVS in Elem. iur. feud. cap. II. §. XVIII. sq. ibique citati.

§. IV.

Nec minus iurisprudentia publica egregia subministrat subsidia, quae absque detimento in iure feudal abesse nequeunt. Fuse quidem propositum demonstrare valerem, ast ob temporis penuriam solummodo commemorare fas erit expeditiones romanis, de quibus cum ignarissimis scimus, quod ante Caroli V. Imperatoris aetatem fuerint visitatissimae, et licet in desuetudinem abierint, nihilominus tamen in iurisprudentia feudali vestigia illarum superfunt, quorum ope varialbi obuenientia erui queunt. Ad illustrationem productorum prouocare

erit



erit integrum ad militiam veterum Germanorum, quam le-  
Etam fuisse (*a*), nemo in iure patrio versatus ignorat, ad-  
mittebantur ad eam homines militaris generis clypeo mi-  
litari gaudentes (*b*), quorsum iure optimo maximo refe-  
rimus nobiles atque ingenuos (*c*). Hi, quum gratuita  
seruitia militaria non praestarent, belligerantes autem ob  
penuriam numorum stipendia militantibus soluere impe-  
direntur, (per antecedentia) factum est, ut loco salarii  
praedia sub nexu feudistico conferrentur (*d*). Quam vi-  
am etiam Imperatores ob rationem praedictam eligere  
studuerunt, quod satis superque edocent tempora Pipini,  
Caroli M., Ludouici Pii, Lotharii I., Friderici I. Barba-  
rossae dicti aliorumque summorum imperantium (*e*), et  
quum regnante Ottone M. imperium romanum regno  
Germaniae iungeretur (*f*), res eo deuenit, ut Imperato-  
res variis ex caussis v. c. coronam romanam adipiscendi,  
comitia in campis Roncaliensibus habendi etcet. talismodi  
expeditiones instituerent atque decernerent (*g*). Quo-  
nam autem Itali fatente historia fidem sancte promissam  
seruare non consueuerunt, multo magis pollicitationum  
suarum haud raro immemores exstiterunt, eaque pro-  
pter Imperatores saepenumero pericula vitae subire te-  
nebantur, hinc facile intelligitur, cur vasallos suos ad  
seruitia militaria actu praestanda euocarint, antequam ad  
petendam Italiam proficerentur, ne destituti reperi-  
antur hominibus fidelibus fortissimisque, qui contra quas-  
uis iniurias et adgressiones hostiles tueri ac defendere  
possent dominum dirigentem. Modum expeditionum  
institutarum depingere, hancce ob caussam non est opus,  
quia Doctores iuris publici haud infreenter de iis sunt  
commentati (*b*), qua de re vltiori discussione superse-  
dere



9

dere possumus, praesertim, quum mei in praeſentiarum ſit, tantummodo oſtendere, quatenus praedictae expeditiones largiſſima manu ſuppediſtent ſeruitia militaria atque equeſtria, ſine quorum exacta contemplatione multa capita in iure feudalı obuenientia neque intelligi, neque exhaustiri queunt (per principia iuriſ feudalii).

(a) Clare hoc cognoscere licet ex Capitularibus Regum Francorum praesertim CAROLI M: de anno DCCCXII. cap. I. ſimilibusque.

(b) Quod, quum plane indubium ſit, omnibusque iuriū teutonicorum ſcrutatoribus ſatis notum, ea de re diu- tius haud moror, ſed vnicē ſaltim mentionem facio STEPHANI BALVZII in capitul. Reg. Francor. Tom. II. pag. 186.

(c) Legatur TACITVS de morib. Germanor. cap. XIII. cui ad- huc plures adneſtere valuiſsem, ſi mihi perspectum non eſſet, delineata indubitatiſſimis adnumerari.

(d) Solidiſſime de hoc diſputauit Illuſtris Procancellarius IO. GEORGIVS ESTOR in leđiſſimis obſeruat. iur. feud. obs. XVI.

(e) Conf. ANNALES REGVM FRANCORVM ad ann. DCCLVIII. et DCDLXXXVIII.

(f) Adeatur OTTO FRISINGENSIS de geſt. Friderici I. lib. VI. cap. XVII. et XXIV. RADEVICVS lib. I. cap. VI. et CONRINGIVS de Germanorum imperio romano cap. X. §. XXV.

(g) vid. OTTO FRISINGENSIS l. c. lib. II. cap. VII. et B. G. STRVVIUS in corp. iur. publ. cap. VII. §. XXXIX. nec non cap. XXIV. §. V.

(h) Consuli meretur memoratus STRVVIUS loc. cit. ibique allegati ſcriptores.

§: V.

Cum his haec tenus enucleatis ſubſidiis iuſtiſſima ex cauſa coniungitur uſus historiae, quo neglecto, in feu- dalibus ſaepiſſime emerγunt paſſus, qui non aliter, quam ope illius enucleari valent. Iniuſcundum forſitan non e- bniſt  
B  
rit,



rit, quum feuda audiant inuenta Germanorum, (per antecedentia) ad dilucidandam propositionem mentem ad migrationes gentium germanicarum dirigere, intuitu quarum non solum scriptores fide digni, sed etiam maiorum nostrorum hostes infensissimi restantur, Teutones antiquitus in gouis sedentes tanta in producendis liberis gauisos esse frugalitatem, ut ob inhabitatorum multitudinem pristinas sedes derelinquere, aliasque sibi eligere fuerint coacti. Quae iam recitata, ne legitima careant probatione, quosdam saltem recensere iuvabit populos, qui migrationes instituere nulli dubitarunt. Huc non immrito pertinent Langobardi, qui facta mutatione priorum sedum regnum istud inclytum in Italia stabilierunt: (a). Nec alia dicere fas erit de Anglo Saxonibus Britaniam postea occupantibus (b), ut et de Cimbris, quorum clades a Mario felici isto Romanorum belli duce perpesta quemlibet, ut mihi persuadeo, conuincet, migrationes gentium germanicarum entibus rationis non esse accenfendas. Ne autem prolata vitio mihi vertantur, forteque quispiam credat, enarrata in iure feudali plane nullius esse momenti, is solummodo perspiciat ponderetque vnicam hanc quaestione: Quanam ex causa scriptores Angli, Langobardici reliquorumque e patria discedentium populorum teutonicorum auctores in iure feudali a rite sentientibus allegentur ac citentur (c)? Profecto! nulla alia ex ratione, quam quod maiores nostri patrios lares deserentes instituta pristina secessu suo non fuerint abominati, multo magis ea acriter retinuerint (d). Quae, quum ita sint, non est mirandum, quare interpres iuris feudalis adcurate peragentes tales commemorant auctores, qui Germaniae nostrae amplius haud

hacid sunt accensendi, et nihilominus maximam praestant  
utilitatem in exhaurienda iurisprudentia feudali, nam,  
quod Teutones per migrationes e patria abeuntes insti-  
tuta anteriora non deseruerint, sed quo quis modo conser-  
uarint, certo certissimum est.

(a) Langobardos ante migrationes Germaniam inhabi-  
tasce, cognoscimus ex VELLEIO PATERCVLO *bistor. lib. II. cap.*  
**CVI.** CLVVERO in *Germ. antiq. lib. III. cap. XXVI.* et HART-  
KNOCHII *diff. de origine Pomeraniae*, quod autem Italiam pe-  
tierint, regnumque erigere fuerint solliciti, testantur WAR-  
NEFRIDVS *lib. IV. cap. XLVII.* et IO. NICOLAVS HERTIVS *opuſcu-*  
*lor. Vol. II. P. III. cap. IX. §. II. sq.*

(b) Hi populi a TACITO *de mor. Germ. cap. XL.* Sueuis ad-  
numerantur, et iuxta testimonium BEDAE in *bist. eccl. lib. I.*  
*cap. XV.* Pictos Scotosque represserunt, et tandem Britan-  
nos ipsos subiugarunt, HERTIVS *loc. cit. P. II. cap. II. §. III.*

(c) Sic in perscrutandis doctrinis feudalibus saepissime  
animaduertimus, quod scriptores adducantur, qui ad Ger-  
maniam nostram non spectant. Exempli loco esse poterit  
Paulus Diaconus, Petrus de Rewa etcet. quemadmodum  
nec leges Malcolmi Regis Scotorum silentio praeterreuntur.

(d) Quod exinde colligere possumus, si istas adimis ter-  
ras, ad quas Germani acceſſerunt, tunc constabit, feuda  
ibidem fuisse cognita, quod de Gallia, Anglia, Italia, Bel-  
gio etcet. satis superque conspicimus.

## S. VI.

Deinde maxima est utilitas, quando antiquitates  
feudales arctissime cum iurisprudentia feudali iunguntur,  
quum enim, prout supra expositum, cuiuslibet officium  
eo redeat, ut origines aequae ac vicissitudines probe no-  
tentur, ita et praesens disciplina talem exposcit metho-  
dum,



dum, conspicimus enim in ista materias, quae non aliter quam hac via electa peruestigari queunt. Haec, ne penitus intacta relinquantur, operaे pretium esse duxi, ad pares curiae aliquatenus recurrere, de quibus nemo non scit, quod sub iis comprehendantur conuasalli vnius eiusdemque domini, qui posterioris curiam agnoscentes ibidem iudicis partes sustinere valent, et quatenus gaudent persona standi in iudicio, obtinent locum scabinorum, de quibus sufficienter est notum, quod veterum Germanorum audierint adfessores (*a*), ideoque iis in territoriis, vbi adhuc curiae feudales conspicuntur, praedictae notiones citra detrimentum omitti nequeunt. Et quamvis nonnulli in ea haerent opinione, statuentes, vsum parium curiae penitus in desuetudinem abiisse, nihilominus tamen contrarium a recentioribus Feudistis iamdudum est demonstratum (*b*). Inficiari quidem haud possumus, dari prouincias, intuitu quarum nullas amplius adgnoscimus curias feudales, per consequens nec pares curiae (*c*), ast inde non est concludendum ad vniuersa Germaniae territoria, e contrario nostris temporibus videmus regiones, in quibus recensita vsum praestant pragmaticum (*d*), qua de re nihil consultius erit, quam omnium eorum habere rationem, quae ad masculam scientiam in sapientia ciuili quidquam perducere valent.

(*a*) Lectu dignissima est commentatio BRUMMERI de scabinis, quem hac in materia Icti magni nominis commendare solent.

(*b*) Factum hoc est inter receptiores a cel. LENICHENIO in comment. de paribus curiae.

(*c*) Prae-

(c) Praedicta videmus in terris Saxonis, Brunsvicensibus, Holsticis aliisque, in quibus vel coram regiminibus, vel coram tribunali, vel coram iudiciis prouincialibus, immo quandoque iudiciis adpellationum caussae feudales tractantur, *B. G. STRVVIUS in Elem. iur. feud. cap. XIX. §. CCCXIX.*

(d) Huc consentientibus Feudistis referre licet archiepiscopatum Moguntinum, Treuirensem, Coloniensem, terras Megapolitanas, Pomeranicas aliasque, *STRVVIUS loc. cit. et Illustris atque excellentissimus Pro cancellarius cuius Academiae IO. GEORGIVS ESTOR de iurisdictione curiarum clientelarum Germaniae et de caussis feudalibus ibi tractandis,*

### §. VII.

Praeter iam enucleata inter omnes constat, quod in iurisprudentia feudal non tantum iura patria, sed etiam Langobardica per liberam receptionem adgnita per quam exakte sint inspicienda in caussis beneficiariis, quae, quum nulli subsint dubitationi, facillimeque ex successione feudali ipsaque tractatione dijudicari valeant, eam ob rem vterius non moror, sed hisce lineis ob penuriam temporis fugitiuo calamo conscriptis finem impositurus vos adeo, *HONORATISSIMI SVAVISSIMIQUE COMMILITONES*, animo sincero declarans, me ne quidpiam aliud habere in votis, quam vt VOBIS infucato declarem pectori, studium inseruendi mihi esse iucundissimum, quod vt absque temporis interuallo adpareat, recitationes meas aestiuas die XIII. mensis Maii in aedibus Schottianis fauente Numine diuino inchoandas typis publicis communicabo. Praelegam itaque indefesso cum studio omnique diligentia interpretabor



Hora II - III. BVRCARDI GOTTHELF STRVII Elementa iuriis feudalis.

Hora III - IV. GEORGII ADAMII STRVII Iurisprudentiam romano germanicam forensem, et

Hora IV - V. Titulum Digestorum vtilissimum *de regulis iuris* diebus Lunae, Martis et Veneris publice exhaurire studebo.

Nec minus fidelem polliceor instructionem istis, qui priuatissimas exoptant manuductiones ad alias jurisprudentiae partes, quibus ut et prioribus interesset velitis,  
id est, quod obseruanter rogo. Dabam e Museo  
d. XI. Maii MDCLIV.











Marburg, Diss., 1753-55

ULB Halle

005 034 817

3



TA → OL

MW 1 + 10 Shill



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



## Farbkarte #13

SORBERI I. V. D.

VLT. IVRID. ADSESS.

A MARBURGENSI

620

628

16

1754, 10.

R A M M A

D E

S V B S I D I I S A D  
G N I T O N E M I N  
F E V D A L I A D S P I R A N D I

Q V O

I M O S Q V E C O M M I L I T O N E S

E L E C T I O N E S A E S T I V A S

Q V A M P R I V A T A S

E S T , H V M A N I T A T E

I T A T



C A T T O R V M  
M Ü L L E R I , A C A D . T Y P O G R .